



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Ad Evangelium de Rogationibus, multa proponuntur, quæ singulis tridui
Feriis poßint deservire, & his tribus Evangelicis verbis accomodari, Petite,
quærite, pulsate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

Prov. 11.
Ib. 13.

obtinendam; aut si non aliud amplectitur, nõ est efficax, non est verum desiderium sed calsum, inane & miserum; unde Sapiens: *desideria occidunt pigrum, noluerunt enim quidquam manus eius operari, tota die concupiscit & desiderat: qui autem iustus est tribuet & non cessabit.* De illo scilicet pigro loquitur, de quo antea dixerat: *vult & non vult piger*, id est, vult finẽ, & non media, quod est absolute nolle; nunquam enim finem assequetur, & hoc unũ haberet ex desiderio suo ut valde torqueatur & penẽ occidatur sine ullo fructu, quandoquidem non assumit media necessaria: qui autem iustus est; id est, qui iuste de rebus iudicat, & qui in his comparãdis ordinata servat media, tali rerum abundantia fruatur, ut de suo etiam aliis liberaliter & indefinenter tribuat.

Hic tibi quis animus? quale est tuum cœli desiderium? qualis vigor & violentia quam tibi facis? qualis esse soles in occurſu difficultatum? An emolleſcis? an expugnas & vincis quidquid durũ & asperum se objicit? Tũ enim maxime vis inferenda cũ reluctatur appetitus, tũ de Regno Cœlorum agitur, tũ ostendis quantum illud facias & appetas. O quam remisse & frigidẽ, cũ vix unquam tecum pugnes & semper difficultati cedas! Itane verò Regnum contemnitur? Quæ bella, quæ vitæ discrimina non libenter suscipiunt homines, ut Regnum, ut provinciam, ut urbem, ut castellum acquirant aut conservent? Et pro immortalis gloria, pro nunquam perituro Regno vix decertatur, cũ tamẽ nisi pugnetur non adveniat: certa verò sit & parata decertanti victoria & coronam Bonum certamen certavi, ait Athleta nobilissimus, *cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi Corona iustitia, non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt adventum eius.* Et verò, inquit idem: *qui certat in agone, nõ coronabitur nisi legitime certaverit.* Et rursum: *Omnes autẽ qui in agone contendit, ab omnibus se abſinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, nõ quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, & in servitutẽ redigo, ne forte cũ aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Audisne anima, & non expavescis! Hem, nisi Apostolus pugnet, timet excidere regno, licet parato, & tu nõ timebis!

2. Tim. 4.

Ibid. 2.

1. Cor. 9.

Apoc. 3.

Ecce venio cito, dicit Rex Regum, tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

AD Evangelium de Rogationibus, Lucæ undecimo; præter illa, quæ proxime præcedenti Dominica proponuntur de oratione, distribui possent in tres Rogationum dies, tria illa quæ à Domino commendantur, *petite, quarite, pulsate.* Quæ tria verba licet unum & idem, ad maiorem commendationem, videantur significare; nõ deest tamen in singulis, observanda vis aliqua, quæ rem magis auget. Est enim in quarrendo nonnihil amplius operæ quam in petendo. Et dum moram quis patitur in pulsando, quis non videt ibi diutius persistendum, & aliquid gravius obeundum? Quamobrem eæ potissimum seliguntur Veritates quæ & unicuique Verbo conformes sint, & proponant præcipue, quid ex nostra parte desit, quò minus rectè defungamur his quæ à Christo commendantur, ut defecto malo remedium facilius adhibeatur.

PETITE & dabitur vobis. Luc. 11.

Nisi diligenter advertas; Quod petis à Deo iustius; hoc est quod petis iniustius.

In 3. parte, Feria 3. & Sabbato hebdomada 7.

Si vis quod non habes, da quod habes

In 1. parte, Dominica 2. post Epiphaniam.

Si forte times mediatorum Christum; non ille timeret alios mediatores.

Tot ipse tibi exhibet, si velis, adhibendos; quot habet sanctos.

In 4. parte, Sabbato hebdomada 2 6.

QUÆRITE, & intervenietis. Luc. 11.

Quò sæpe vehementius aliquid Deum oras, ore quidem illi altas propius, sed corde distas longius.

In 3. parte, Feria 4. hebdom. 14.

Si quod creditur necessarium, quærenti desit: credendum potius non illud esse necessarium, quam quòd quærenti desit.

In 4. parte, Feria 2. hebdom. 21.

Sicut pietas valet ad omnia, sic omnia valent ad pietatem.

In 2. parte, Feria 6. hebdomada Pentecostas.

PULSATE & aperietur vobis. Luc. 11.

Nisi

Nisi cor, lingua, & manus ad devotionem simul conspirent, ipsa exspirabit devotio.
In 4. parte, Feria 5. hebdomadae 26. Vbi qua dicuntur de devotione, facile possunt de oratione & de perseverantia intelligi.

Veri fiducia, confidenti nunquam infida.
In 2. parte, Feria 3. hebdomadae post Pascha.

Sicut qui nimis satagit, non satis Deo fedit, sic nequeis, qui de suo non satis agit.
In 3. parte, Sabbato hebdomadae 14. ubi de Canana.

Vide & in 2. parte, Feria 5. hebdomadae 3. in Quadragesima, ubi de perseverantia, quae dum caetera pugnant virtutes, sola vincit.

FERIA TERTIA.

DE SECUNDO MOTIVO EXCITANDI In Caelum desiderii: quod ibi omnia nostra desideria compleantur.

Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes; Domine si in tempore hoc restitues Regnum Israel? Dixit autem eis: non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate. Act. 2.

VERITAS PRACTICA.

Qua ratione terrena tantum & non caelestia desideras, eadem necesse est ut caelestia tantum & non terrena desideres.

RATIO est, quia idcirco terrena tantum & non caelestia desideras, ut appetitiones animi sic facilius expleantur.

Sed ex plendis appetitionibus animi necesse est potius, ut caelestia tantum, & non terrena desideres.

Ergo qua ratione terrena tantum & non caelestia desideras, eadem necesse est ut caelestia tantum & non terrena desideres; Quod quam sit ad praxim perutile, diligenter inquirendum.

I. PUNCTUM.

CUM nondum scirent Discipuli, quo Christus tempore quoque modo, Regnum suum in hoc mundo manifestaret, vehementer id aiebant rescire, ac propterea illum omnes interrogant, quasi uno omnes desiderio rei tantae & tamdiu expectatae tenerentur: Domine, si in tempore hoc restitues Regnum Israel. Id est Israelitico populo, cui a Romanis erat substractum & translatum ad

Haynesiusve Pars 2.

Herodem Idamaeum. At Christus volens eos avertere a cogitatione Regni temporalis ad Coeleste & aeternum, hoc unum eis respondit: Non est vestrum, nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate; quasi diceret, quamdiu hic vivitur, ponendus modus curiositati ac humanis desiderii; non est hoc tempus neque locus cupiditatis etiam licitae & honestae adimplendae; Caelo ista reservantur, ubi quidquid volet rationalis appetitus obtinebit; sicut ante illis expresse dixerat, *In Ioan. 16. illo die me non rogabitis quidquam, quia videlicet, ut ait sanctus Augustinus, videbimus eum ubi iam nihil rogemus, nihil interrogemus, quia nihil desiderandum remanebit, nihil quaerendum latebit.*

Hic ergo attentius cogitari posset de hac futura in Caelo foelicitate, qua plene satiabitur anima; & inde sic exardere desiderio Dei videndi, nihil ut praeterea desideres, *Apparebo Ps. 16. conspectui tuo, satiabor cum apparuerit gloria Ps. 85. tua! QUAM dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Qui ut affectus solide & efficaciter ad fructum & effectum concitentur, opportuna est admodum veritas, qua sic urgemur ad reprimenda quaeque terrena & humana desideria, Vt illa ipsa ratione, qua terrena*

V V

rena